

Vg
5309



69





Parentatio Anniversaria

PRO

D. MARTINO LV.

THERO P. M.

QVA OSTENDITVR

BEATISSIM. ILLVM PATREM Verum fuisse Episcopum & Evangelistam Germaniæ : vice versâ Pontificem Romanum ne quidem hilum Episcopalis officij, aut nominis revera sustinere posse : ex 1.

Timoth. 3. cap.

Contra calumnias & mendacia Romanensium alastorum

HABITA PVBLICE IN SOLENNI confessu Generos. Dn. Baronum, Reverendorum & Excellentissimorum patrum Academicorum, & honorificâ Nobilissimorum & letissimorum commilitum frequentiâ, in Academia VVitebergensi

a. d. 18. Feb. qui Concordiæ inscribitur, Anni 1599.

à

M. FRIDERICO BALDVINO Dresdensi.






ΑΝΔΡΙ ΚΟΣΜΙΩΤΑΤΩ

ΤΕ ΚΑΙ ΣΟΦΩΤΑΤΩ, ΕΙΡΗΝΑΪΩ ΒΑΛΕ
δύνω Δρεσδιῆ, Μυσίω, εὖ δάγειν!

Κχιφαῆς Δρέσδης φάθ' Αονίδων, τε μέγιστον
Χάρμα, φίλη κεφαλή νυῶ, τὲ καὶ ἡ' ἐμή.
Ειρηναῖε, λόγον πῶε Λυθῆροιο σὸν οἶδα.
Οἶδα, καὶ ὡυτίεσ' ἦδ' ἴδον ἔδεν ἔην,
Ποιητῆς ἀγαθοῦ, λογοδαίδαλ' ἔστι μελίσθου.
Καὶ βροτεῶν σε γῆθ', καὶ θεὸς αὐτὸς ἔρα.

Ματθῆθ' Ζεβηθ', ποιητῆς
Δαφνηφόρ' θ'



ILLV=

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO

TIDONI HERMANNOL. BARONI IN

Inhausen & Kniphausen in Elter & Vogelgesang/
Domino meo clementi, S.

IDO, KNIPHVSII generosa propago roseti,
Nobile Baronum sidus, honoris apex:
Nuper, ubi multis ad publica pulpita verbis
Annua LVTHERO liba precesq; dabam:
TV, cum MINCKVIZIO fratrum pare, lampadis
Ad mea praluxti dicta nitore tuo. (instar
Totaq; TE fixis tam splendida concio ocellis
Intuita, humanum credidit esse deum.
Me quoq; (pol Musas!) quantis animaverat ausis
Fronte tuâ fronti fax recidiva mea!
Audendum est; mecum dixi; divina favoris
Gratia sub rosea depluit imbre mihi.
Factum ita: quoq; mihi magis aurea frontis & oris
Harmonia obtutu simplice visa fuit:
Hoc magè se certis variabant verba figuris,
Adq; tuum nutum sat benè cessit opus.
Iam verò ad dubium doctorum defero censum
Scripta domi, precibus sed revocata foras:
Et velut ad scopulos hinc inde revolvor; & ex his
Hæc modò & hæc vocum verbera fortè fero:

A 2

TV

Tu succurre, deum suboles, T I D O, inclyte Baro,
Meq; patrociniō protege, quāso, tuo,
Ad T E L U T H E R I sacra hac chartacea spontē
Defero, qui magno nomine numen habes.
Da modō, quā dederas dicenti ex ore favorem,
Et sic Suffeno mera venena dabis.
Iam cape declamata alij: sed forsitan & T V
Magna mei poteris carminis esse seges.
Papa! quanta T I B I quoq; publica symbola Phabi
Numina, T I D O N I S numine plena, dabunt!

G. T.

devotus

M. Fridericus Baldvinus

Dreidensis.

PAREN



PARENTATIO AN-
NIVERSARIA, PRO B. LV.

THERO P. M.

QVA OSTENDITVR, IPSVM

VERVM FVISSE EPISCOPVM

& Euangelistam Germania: vice ver-

sà Pontificem Romanum ne quidem

hilum Episcopalis officij, aut no-

minis revera sustinere posse.

Ex 1. Tim. 3. cap.



Votiescunq; retrô ad annos tres & quin-
quaginta animum converto; Dn. Auditores,
Generosi Barones, Reverendi, Excellentissimi,
spectata dignitatis, virtutis & humanitatis
viri, patres Academici; vosq; nobilissimi si-
mul & eruditissimi commilites; toties & to-
tamente perturbari, & varia mecum subinde cogitare soleo.
Quod si enim ullum unquam tempus à mundi servatore IESU
CHRISTO nato, Reip: Christianæ exitiosum & funestum
fuit, illum profecto annum, qui supra sesquimillesimum qua-
dragesimus sextus numeratur, & hostium crudelitate tremen-
dum & Ecclesiæ Christi miserabili fato luctuosum esse arbitror.
Quippe duo sunt potissimum extrema profunditatis vulnera

A 3

illo

PARENTATIO

Sleid.
lib. 16.

illo ipso tempore corpori Christiano inflicta, quorum unum apud plerosq, ut opinor, iam coarvit; alterum verò quotannis, hodierno die non potest non ingenti cum dolore recrudescere; Maleferiatum illud primum dico Tridentinae synagoga conciliabulum, & deinde magnanimi illius (in CHRISTO iam æternum beati) Teutoniae prophetae LUTHERI obitum, toti orbi Christiano lamentabilem. Equidem non est, cur infelicis istius Synodi canones & decreta, neq, bruta horum fulmina quisquam extimescat; quæ & ipsa superioribus annis aliquoties instaurata, iam quoq, sub incidem revocata, Reip. Christianæ (DEO bene providente) detrimenti nihil inferre poterunt, nec hodie, ut bene speramus, officere quidquam poterunt. Hoc vero est, cuius ad memoriam contremiscunt piorum animi, quod, cum illegitimus ille œcumenici concilij promulgator Paulus III. conventum illum Tridentinum jam tertia, jam quarta vice suum in commodum ex alio loco in alium transtulisset, tandemq, sibi quasi re infecta, huc illuc discedendum esse videret: tum demum aperta vi, districtis gladijs, toxico & ac-

Baleus 1. lijs armis in gregem Christianum tyrannicè servire cepit, ita
7. act. pon ut ne quidem à Cardinalibus suis Fulgofio & Contareno, ad re-
tif: in purgatam Evangelij veritatem nonnihil inclinantibus, manus
vita Pau- abstinerere quiverit. Augebatur hac tanta AntiChristi rabies su-
li 3. rris, & seditioibus Alexandri Farnesij Cardinalis, et Octavij eius
fratris, ducis Parmensis, libidinosi Papæ nepotum; qui inani
gloria tumidi, cum hoc ipso anno, de quo nobis sermo est, ex Italia Germaniam essent ingressi, superbo comminabantur ore, se tantum Lutheranorum Germanicorum sanguinis profusuros, ut in eo possent natare equi eorum. Quod quam impensò diò efficere laborarint, sequentium temporum historiae luculenter ostens-

ANNIVERSARIA.

ter ostendunt, ubi Farnesius Cardinalis & Marcellus Cœruinis, post in Pontificem electus, Carolo Imperatorj & regi Ferdinando auxiliares copias contra Turcam petentibus, tyrannica oratione responderunt, in Lutheranos potius arma converti debere, utpote qui sint omnibus Turcis deteriores. Quam insanam Christiani sanguinis sitim quis non restringere vel le putet hodiernos Tridentini concilij executores (ita n: nominari volunt) milites Hispanos, in vicinia nostra Pontificia tyrannide grassantes? Hoc, hoc est Auditores, quod ratione indictæ Synodi Tridentinæ annum illum quadragesimum sextum Ecclesia Christianæ exitiosum reddit, videlicet non canones, non decreta illa, blasphemiarum in divinam majestatem instructissima promptuaria, sed furor ille sanguinarius, & rabies Pontificia, ab isto principio in hunc usq; diem tragice continuata.

Sleid: l.
23. Bal: l.
7. act pon
in vita
Marcel.
11.

Sed enim instituti mei non est, tam fædo spectaculo diutius inherere: quin imò restat alterum, quod illum ipsum annum universo orbi Christiano non tam exitiosum, quam supra omnem modum luctuosum efficit; Beatus ille ex hac vita discessus magni nostri LUTHERI. Hic enim hodierno die, quem Concordia inscribunt fasti nostri, Islebij in patria, nullo cum corporis, qui quidem animadverti posset, cruciatu, (ut Historici verbis utar) placide è vita discessit, multo cum gemitu plurimorum. Ah quid nos hîc, Auditores? quidni cum Eliseo illo exclamare liceat; Pater mi, pater mi, currus Israel & aurigat eius! Quam multa vero memorabilia emortalis ille B. Lutheri dies nobis in mentem revocat! Triviale quidem illud est; Concordiam LUTHERI funus in sepulcrum insecua

Sleid. lib.
16.
4. Regz,
12.

PARENTATIO

insecutam esse; sed ita triviale est, ut vero sit veritas,
 innumerisq; illis discordiarum à B. LUTHERI obitu Ec.
 Liv. l. 9. clesiam vastantium, tricis abunde comprobatur. De C.
 dec. 1. Fulvio Cn: filio adili Romano prodidit Historia, quod, cum esse
 set patre scriba humili fortuna ortus, pertinaciter adversus
 contemnentes humilitatem suam nobiles certavit, & inter alia
 virtutis suae monumenta, adem Concordiae in arca Vulcani,
 summa invidiam nobilium dedicavit, populiq; concessu coegerit
 Cornelium Barbarum Pontificem Max. ex legum praescripto
 verba praere. LUTHERVS noster, humili sed honesto
 loco natus, DEVM immortalem, quam bellum, quam aureum
 concordiae templum, dum in vivis erat, hic vVitebergae extru-
 xit! quam quiete omnes Christianae militiae duces, uno ore,
 uno animo contra Romanenses vultures dignitate & genere
 suo turgidos concertabant! quam penè nulla inter repurgata do-
 ctrina confessores facta dissensio! ast hoc jam pie defuncto o quam
 subitanea mutatio in tam aureo animorum consortio! quam re-
 pentè hinc inde infinitae disceptationes tanquam de primoge-
 nitura ortae (ut cum hac sanctus ille vir haereses conferre so-
 lebat) ita ut jam verè dixeris LUTHERVM fuisse tena-
 26. cap. cissimam illam sepem, quae opposita stetit, contra DEVM,
 Gen. pro terrâ, ne ea dissiparetur. O quam saepe venit mihi in
 Ezech. 22 mentem verissimum illud B. LUTHERI vaticinium, quo
 frequenter Georgium Principem Anhaltinum & alios conso-
 lari consueverat. Me vivo, non est quod metuatis. Cer-
 tus enim sum, me meis ad DEVM precibus facile obtenturum,
 ut ab hostibus nostris, bella & persecutiones spirantibus, tuti-
 simus: me vero demortuo, ipsimet orate, id quod summè vo-
 bis ne

ANNIVERSARIA

bis necessarium fore re ipsa experiemini. O sermonem satis
 jam satis eventu comprobatum. Vix enim jam egelido facto
 LUTHERO, quàm funestum in Germania bellum exarsit!
 quanta clades Ecclesie infligebatur abominando illo Interreli-
 gionis libro! quæ postmodum recruderunt sectæ, summo co-
 natu, ferocientium eprorum instar vineam Domini gravi-
 ter vastantes! Sacramentarij, Anabaptistæ, Suenckfeldiani,
 Antitrinitarij, qui omnes in hunc usq; diem diu multumq;
 fatigatam Rempub: Christianam respirare non patiuntur!
 quam inextinguibilia vero bellorum incendia subinde jam
 exorta sunt, quibus Ecclesia Christi superioribus annis obru-
 ta, nondum deflagrare cœpit! Sed quid nos hac ita repe-
 tentes? Profecto non modo cicatricem Ecclesie ex tanto
 vulnere residuam, nondumq; plane cœlitam refricare ju-
 vat, sed & tanti thesauri ineffabili cum luctu deperditi
 memoriam, gratâ mente quotannus recolare decet. Cujus
 quidem officij partes in hoc solempni conventu in presentia
 me sustinuisse, nemo opinor, vestrum est, Auditores, qui si
 ministro liveat oculo; nisi qui ab omnibus vere CHRISTIA-
 NIS, si qua occasione fieri possit, publicum de suâ in B. LU-
 THERVM pietate & grata recordatione testimonium po-
 stulari ignorat. Cogitanti vero mihi, quonam in genere
 mea versaretur oratio, ut & huius tam sancti diei memorie
 satisfacerem, & vestra, Auditores, expectationi (dum ver-
 borum pigmentis, aut rerum gravitate delectare vos non
 possum) utilitate saltè quodammodo responderem, venere
 quidem plura in mentem, quæ vel de natalibus, vel de o-
 bita Beati patris nostrî mendacissimè finxerunt Monachi.
 Sed quia ea omnia jam pridem in universo orbe Christiano.

B

risui

PARENTATIO

*r*isui sunt exposita, & per se facile in fumum abeunt, sanè
 sapientis non esset, politissimas vestras aures nugatoria ista
 scurrilitate obtundere: Imperiti vero, de exactiss: vestro
 hisce in rebus iudicio vel minimum dubitare. Neq; enim
 quisquam vestrum est, quem latere putem impium illud ne-
 scio cuius sacrificuli commentum, plebecula sua, veluti pu-
 ellis ad colum recitatum, de monstrosa **LUTHERI** nostri ge-
 nesi, quem ex Diabolo, in forma Mercatoris & artificis gem-
 marij cum civis **Witbergensis** filia congresso, genitum esse,
 impudenter adseruit. Nec obscura est nugatoris **Cochlæi**
 fabula, de nescio qua repentina **LUTHERI** morte, quod post
 cœnam opiparam, facetijs lautè conditam, ipse quidem paulo
 antè sanis & integris viribus subito conciderit, quod corpus
 eius præter naturæ ordinem putrescere ceperit in hie me,
 cum omnia gelu rigescerent. Quæ omnia quis vestrum est,
 quin & quis adversariorum est, politico saltem candore ju-
 dicantium, qui non (ut levissime dicam) nugacissimas esse nu-
 gas affirmavit? Aliter loquitur **Islebium**; aliter **Wit-
 berga** nostra; aliter arcis nostræ templum augustissimum; a-
 liter universus orbis Christianus. Quamobrem hisce
 relictis, converto me ad id, quod instituti mei esse volui, ut
 nimirum adversus creberrimas Pontificiorum, imprimis ve-
 ro miseri illius **Anatomici Pistorij** calumnias ostendam, **B.
 LUTHERVM** nostrum vere fuisse Episcopum & ut semet-
 ipsum nonnunquam appellare solebat, **Germaniæ Evangelis-
 tam**: idq; ex infallibilibus Episcopi notis & requisitis, quæ
Timotheo suo præscripsit **Paulus** Apostolus. Vice versa una
 simul opera demonstrabo, Pontificem Romanum Episcopi no-
 men atq; titulum nullo plane jure, nec diuino nec humano ob-
 tinere

l. vietus l.
 3. de præst.
 dem.
 sap. 23.

Coch, in
 vita
 Lutheri,

Tom. 7. Vit-
 geb. fol.
 304.
 1. Tim. 3.

ANNIVERSARIA

tinere posse, sed esse Mercenarium turpem, imo lupum & praedonem in agro Christi. Quae dum pro tenuitate mea pertrahere annitor, quae Auditores generosi, Reverendi, clarissimi, humanissimi, date mihi hanc horulam, vestraque benevolentia praesentia & facili attentione timiditatem & imbecillitatem meam sublevate.

Qui primum contra Heroicum LUTHERI nostri Spiritum ore calamoque pugnare ceperunt, doctrinam eius potissimum aggressi sunt, quam ut novam & inauditam, LUTHERO a Diabolo, quo cum familiari convictu plusquam modium salis consumserit, in calamum quasi dictatam, blasphemè calumniati sunt. Hodierni Romanae sedis quo horribiliori apostasia semel agnitam veritatis lucem rejecerunt, eò audacius non saltè doctrinam Reverendi Patris nostri, sed & inculpatissimos mores eiusdem scelerato stilo pungunt, ipsumque non modo Episcopali dignitate exuere, sed & in ipsummet Satanam horrenda metamorphosi transformare, omnibus remis & velis elaborant: quippe quem non saltè haereticorum principem, sed & hominem impurissimum, lenonem, merè carnalem, Monachum Lucianicum, libidinosum hircum, os impudentissimum, spurcum, mendacissimum, nugatorem, scurram, turgidum, hinc inde mobilem, & in mortem usque instabilem Vertumnum indigitare pro singulari sua modestia non erubescunt. Quid nos ad haec? Nil nisi quod regerimus illud Aeschini: *τὸ γὰρ εὐδὲς ὄνειδος ἐπιπρόκειται πικρὸν ἔστιν ἀνοήτων ἀνοήτων ἀνοήτων.* Quod si enim B. LUTHERI vita & doctrina quadrat ad D. Apostolicos canones Episcopo praescriptos: quidni sanctus ille vir semetipsum notorijshisce calumnijs facile eximet, Pontifices verò Romani

Coster: in ench. cap. 26 de Eccl. f. 117.

Pistor: in praefat. Anat. l. ult. p. 39. seq.

In Orat. πικρὸν ἔστιν ἀνοήτων ἀνοήτων ἀνοήτων.



PARENTATIO

nos aureturus immerget? Meditantibus vero textum Paulinum accuratius, videtur in Episcopo tres hasce summas virtutes esse oportere? Temperantiam, Prudentiam & Modestiam, quarum illa suo ambitu simul Castitatem, Sobrietatem, & Liberalitatem; ista docendi diva, vigilantiam, & disciplinam domesticam; hac vocationem legitimam, Humanitatem, & exterorum testimonium complectitur. Ac initio quidem requirit ab Episcopo & Evangelista Christi Apostolus Castitatem, ut sit pudicus, & unius uxoris maritus. Quis igitur LUTHERO nostro castior unquam fuit aut esse debuit? qui vere Christianam castitatem, que nequaquam in obscuro cœlibatu, sed in honesto & legitimo conjugio consistit, & voce sua literisq; approbavit, & exemplo suo honestissime stabilivit. Hoc est, quod, dum sapissime castitatem commendat, vice versa adfirmat, scortationem non modo animam perdere, sed & corpus enervare, bona exhaurire, honoribus toti q; familie maculam invrere, cuius gratia pœna gravissima totas sæpè regiones infestavit. Vidit vero & illud vir sanctissimus, castitatem non esse omnium, etiam caste vivere volentium. Ideo illam præternaturale DEI donum esse docuit, paucissimis sanctorum etiam concessum, quod non nisi firmissimâ fide, Spiritum magna cum vi supra carnem exaltante conservari possit. Quæ de causa remedium huic malo ab Apostolo quoq; præscriptum omnibus magno Spiritu sæpius præscribit: Ideo DEUS V M sacerdotibus etiam matrimonium non prohibuisse, quin & Apostolum illud Episcopis præcepisse demonstrat. Hoc est, quod ad parentum officium pertinere scribit, querere liberis idoneum conjugem, quo cum honestè

Virtutes in episcopo

Castitas.

Tom. 7. dicit fol. III.

Tom. 7. fol. III.

1. Cor. 7. 9.

1. Tim. 3.

Tit. 1.

ANNIVERSARIA

stè, & absq; periculo pollutionis carnalis vivere possint, cum non sit nostri arbitrij, sed ex natura instinctu proficiatur, quod vir uxorem, uxor virum desiderat. Et ut multa paucis comprehendam, quæ de verè Christiana castitate scripsit LUTHERUS, notatu dignum est, quod nullum vitæ ordinem coram DEO meliorem æstimat, quam conjugalem: calibatam quidem coram hominibus præstantiorem esse, utpote multorum onerum & laborum expertem, sed quia parum idonei sunt pleriq; ideo operæ precium esse, ut quamprimum divinitus ordinato remedio conjugij utantur. Et si enim conjugio multa adhæreant peccata: tamen ordini huic DEUM parcere tanquã à se divinitus instituto, in quo bonum omne etiam per peccatum à se propagatum elementer tueatur, foveat & conservet. Hæc tanquam in synopsi fuit LUTHERI de castitate doctrina, quam in toto vitæ suæ curriculo proprio exemplo adeo illustravit (rumpantur ut ilia Apostata) ut ipse verè vivum hujus tam præclaræ virtutis specimen & exemplar esse possit. Nam, ne, quod in alijs tantopere non modo laudabat, sed & tanto cum zelo, quasi jure quodam suo exigebat, ut videlicet conjugij jugo castè se submitterent, suo ipse cælebs exemplo reprobare videretur; tandem anno supra sesquimillesimum vigesimo quinto vestalem virginem, nobili & honorato genere oriundam Catharinam de Bora sibi legitime desponsat; qua cum tam pudicè, tam honestè ad annos propemodum venum & viginti vixit, ut & summi nominis viri testentur, se ne verbulum quidem à LUTHERO unquam percepisse, quod impuri animi indicium esse potuisset.

Tom. 6. vult
f. 166. 167.

Matth. cona
12. pag. 138.



PARENTATIO

potuisset. At enim quid obganniat Apostata in audio: ux-
 orem, inquit, duxit LUTHERVS (id quod per se ad orbem
 anat. damnat miser ille Romani Iovis Mercurius) sed clam cele-
 Pist. bravit nuptias. Hoc est (ut ipse numerat) sedecim diebus
 Lutb. azoar. ante copulationem, cum sua moniali concubuit. Ain' vero
 7. Pistori? si satis foret, Apostatam dixisse, jam pridem Pontifex
 Romanus factus esset Angelus, & LUTHERVS Satane
 deterior. Sed quos fumos vendat, non attingam, habet for-
 didus ille Anatomicus iustissimam censuram male dilacerata
 Anatomia sua à Nostratibus solide oppositam: ibi Rhodus, i-
 bi saltet Pistorius. Quid si vero factum darem Pistori
 (hoc enim saltem ex hypothesi jam tecum agam) usq; ad eone
 Num. 11. miserum ita Lutherum, ad Tartara ablegares? Væ tibi
 Exod. 31. Moses incredule qui verba Iehovæ in dubium vocasti? quod
 LUTHERVS nunquam fecit! Væ tibi Aäron idololatra
 cum tuo vitulo cuius sceleris LUTHERVS noster nun-
 quam fuit reus! Væ tibi David Adulter & homicida,
 2. Reg. 11. qualis LUTHERVS noster nunquam fuit! O vos san-
 ctissimi propheta Domini, quanto ardentiores gehennæ flam-
 mas sentietis, si hic noster LUTHERVS, exemplo sui tem-
 poris profecto rarissimo monialem in uxorem ducens, hosti-
 um & amicorum odia, & insultus metuens, in novo hoc & di-
 gnitati suæ hætenus inusitato ordine aliquid humani passus,
 tantopere damnandus fuerit! Verum enim vero matri-
 monium LUTHERI nostri juxta præscriptum Apostoli
 initum, purum, castum, sanctum illibatumq; manebit

— — dum nutrit Papa nepotes,
 Et Romana suis se iactat curia Thallis,

ANNIVERSARIA.

ut ut crepat clerus Pontificius. Interim tuos cæde sal-
 tus, Anatomice, & quam plane nihil hoc de requisito Episco-
 pi Papa Romanus obtineat, plusquam velles, reperies. Divus
 Apostolus Episcopum vult unius uxoris esse maritum, ca-
 stum & pudicum: Papa Apostolo in os contradicens, vocife-
 ratur: si quis dixerit: clericos in sacris ordinibus constitu-
 tos, vel regulares castitatem solemniter professos posse ma-
 trimonium contrahere, contractumq; validum esse &c: Ana-
 thema sit. D. Apostolus apertè testatur, nubere melius esse,
 quàm vri: papa aperte contragannit: Si quis dixerit, statu, Trid. Con-
cil sess. 8.
 conjugalem anteponendum esse statui virginittatis vel ce- sub pio IV.
anno 63. No-
vi. can. 9.
 libatus, & non esse melius ac beatius manere in virginis 1. Cor. 7.
Sess. 8. cano-
10.
 tate aut calibatu, quam iungi matrimonio, Anathema sit.
 D. Apostolus inquit: propter fornicationem quisq; suam u-
 xorem habeat: Campegius contra & Pighius: Melius est, si
votarius continere non valens, centum habeat concubinas,
quàm si unam legitimam ducat uxorem. Hem egregios E-
 piscopos! præclaros Apostolorum successores! quarum si vi-
 tam moresq; per transennam saltè introspicias, Deum im-
 mortalem, quanta lerna & sentina purcissimorum scurra-
 rum, & cinedorũ (viti Mantuanus nominat) oculos animumq;
 intuentium conspurcabit! Nihil dicam hoc loco de nefariã
 venere Monachorum, nihil de prodigiosa libidine vel potius
 Sodomia unctorum sacrificulorum, quomodo ad sexmilia in-
 fantum ex fornicatione sacerdotum genitorum in piscinã Chemnit.
part. 3. E-
xam. in histo-
de calib.
sacera-
 reperta fuerint, narrante Huldericho Episcopo Augustano in
 Epistola ad Nicolaum I. quomodo iam cum consanguineis, iam
 cum masculis, iam cum brutis etiam consueverint: Hoc sal-
 tem

PARENTATIO

tem attingam, quomodo Pontifices seu Pseudepiscopi Romani, vel per meretrices ad sedem Antichristi evecti fuerint, vel in ea cum iisdem egregiam suam sanctimoniam, & Episcopalem dignitatem adornarint. Etenim non est dubium, multos olim Pontifices Romanos, etiam sacerdotum vel Episcoporum fuisse filios, uti constat de Bonifacio I. sacerdotis Incundi filio; de Felice III. sacerdotis Felicis; de Gelasio I. Episcopi Valerij; de Agapeto I. presbyteri Cardinalis Gordiani filio, de Sylvorio Campano, Hormista Romani Pontificis; de Theodoro, Hierosolymorum Episcopi Theodori filio, & alijs aliquam multis. Sed haec olim fuere. Hodie sacerdotum vel Episcoporum nuptiae haereticae & illegitimae censentur: ipsiq; Papae iam in cineres paternos mingentes, meretricularum suffragijs, ad episcopatum summum evehi malunt, quam legitimo parentum vel antecessorum exemplo convenire. Notum est, ex Luitprando Ticinensi, quam multos Marozia urbis Romanae domina, circa annum Christi 905, scortum nobilissimum, ad dignitatem Papalem extulerit, inexplebilis suae libidinis ministros sacrificulos. Sergio certe tertio, amasorum suorum principi, magno cum urbis tumultu tiaram pontificiam imposuit. Theodora quoq; non minus famosa meretrix, istius Maroziae mater, Ioannem Archiepiscopum Ravennatensem, (qui postmodum Ioannes XI. dictus est) Romam evocavit, utq; eius diu expetito concubitu potiretur, papatum, in vitis patribus, usurpare ipsam coegit. Marozia vero vicissim, hunc Matris suae Pamphilum sede sua deturbavit, substituto spurio suo Ioanne XII, quem ex Sergio III. superioribus annis ipsa conceperat. Eadem ratione Mathilda Comitissa, Gregorio VII. Pontifici

semper

Lib. 3. de
imp. gest.
cap. 12.

Ibid. cap.

13.

ANNIVERSARIA.

semper à latere, relicto marito Edone Marchione Urbanum
 II. ad sedem Pontificiam evexit. Quid vero de Gilberta
 Moguntinâ istâ puella dicam: quæ virilem mentita sexum, Bal. lib. 43
 in vita Iob.
 VIII.
 Romæ duobus annis ac sex mensibus in Pontificali cathedra
 pontificaliter sedit, sub Ioannis Octavi nomine; donec tan-
 dem à familiari quodam suo cardinali compressa, in solemnibus
 ad Lateranensem basilicam processu puerum in publicâ
 via publice peperit? Exhorresco, quoties tot Romani Pon-
 tificis nothos & nepotes, tot calibis patris spurios recitari
 audio: multo magis horreo, quando unum eundemq; Papam,
 unius filie patrem sponsum atq; socerum fuisse lego: To-
 tus obrigeo, quando tot cinædorum & Ganymedum Pontifi-
 ciorum lupanaria cogito. Et quorsum omnia persequar?
 Vnus ille Alexander VI. (etiamsi sexcenta reliqua Pontifi-
 cum monstra non supersint) calibatus castitatis & sanctimo-
 niæ papalis exemplum est luculentissimum, qui ex scorto
 Vannonia filiam genuit Lucretiam, quam, priusquam tribus
 principibus elocaret, horrendo scelere ipse parens stupravit,
 atq; insuper Petro Mendoza Hispano Cardinali, non modo Bal. lib. 70
 in vita
 Alex. VI.
 Paul. III.
 instructissima meretricum agmina, sed & filij sui nothi Za-
 metensis Marchionis in sacro illo calibatu sceleratam indul-
 sit consuetudinem. Sequentibus annis industrius nefandæ
 suæ libidinis imitatorum habuit Paulum III. Concilij Tri-
 dentini primum auctorem, qui dicto Alexandro VI. sororem
 suam Juliam Farnesiam ad usum Venerem dedit, ut Cardina-
 lis & Episcopus Hostiensis fieret, ac se ære alieno liberaret.
 Ipse vero alteram sororem suam nefario incestu vitævit,
 mitras, & galeros promisit, sorores aut etiam fratres iuni-
 ores, ad restringendum inexplebilem Veneris æstum ipsi ad-
 ducentibus. Cum filia Constantia, cum nepte quoq; silicernium
 istud sapissime incestum commisit; juxtaq; 45. meretricum mi-
 lia semper

C

lia semper

PARENTATIO

lia semper in tabella numerata habuit, à quibus singulis mensibus censum petijt, tam ex aere quàm ex corpore. Et quid lucrì nummus Iulius hodie Roma faciat, notum est, quem singulis septimanis scorta Pontifici pendere coguntur, qui census annuus, Volaterrano, & Agrippa testibus, olim viginti, hodie quadraginta milia coronatorum excedit. Pudet me tantos cælibum Pontificum incestus & adulteria, cogitatu quoq; horribilia castissimis vestris auribus referre. Quid verò arbitramini, Auditores, hodiernos Romanae sedis praesides continentiores factos? O nolite vos adduci, ut credatis: hereditarium hoc est Pontificiae dignitati, nuptias legitime contractas sinistro oculo despiciere, quin & fulmine, quamvis ex pelvi, ferire: Interim vero in ista papali licentia sodomitica libidini omnibus nervis & venis inhiare. Quàm belli vero bi Episcopi! ubi castitas? ubi pudor? ubi una legitima uxor? quæ omnia primo limine requisitorum veri Episcopi D. Apostolus collocavit? Proinde cum hic nihil Episcopali dignitate dignum inventum sit, agite, Auditores, progredimini mecum ad LUTHERVM nostrum, cuius jam præclaram sobrietatem (quam alterum veri Episcopi nequior facit Apostolus) contemplabimur. Et si vero tralatitium hoc est, & in proverbium ferme abiit exteris, Germanos potatores esse: tamen nequidem adversariorum aliquis facile extiterit, qui ebrietatis aut luxuriae dicam LUTHERO nostro scribat. Ita enim profectò, est, ut meminit alibi D. Hieronymus; Persuaderi se nunquam posse ut credat, ebrium hominem Castitatem & Pudicitiam colere posse. LUTHERI vero nostri pudicitiam & illibatum conjugium paucis jam ita cognovimus, ut dixi quod affirmare ausim, nil nisi sanctum & honorabile hic reperiri. Quis ergo arbitretur, sanctum illum virum aut luxuriosius vixisse, aut ebrietati indulgisse? Et ne multis de enormi isto Ebrietatis vitio agam, quod absq; omni lite Spiritum Sanctum excutit, & tantis donis quib; ad miraculum nostrum

Sobrietas.

ANNIVERSARIA

noster hic heros excelluit) jam dudum ipsum spoliasset: quis unquam est, qui vel luxu & delicijs in cibo potuq, vel fastu in vestitu eum delectatum fuisse dicat? Vos sanctissimas animas appello, Philippe, Iuste Iona, Mathesi, quos ille vitæ suæ privatæ testes, & quasi exploratores habuit. Dicite ô beatissimi manes, si quid forte deliciarum & lautitiarum animadvertistis in Luthero nostro, quod ipsius vel personam vel ordinem minus decuisset. Certè sobrietatis æmulo ^{Mathesii} studiosissimus erat, ad ^{conc. 66} illam etiã cum valetudinis suæ incommodo in Monachatu ad-
 suefactus. Neq, enim, ut hodierni cucullati ventres ocio & opimis ferculis inhiabat, sed vigilijs, inedia, varijsq, laboribus corpus suum ita macerabat, ut gravissimos sæpe morbos, sæpe periculosas diaboli tentationes evitare non potuerit. Quin ^{Conc. 106} & studijs intentus sæpe cibi necessarij oblitus est: imo inter prandendum non raro suis discipulis conciones dictavit, & alia pleraq, meditatus est. Alias vero vile victus demensum ^{Conc. 126} semper habuit, & ut commensalibus apponebatur; ita & ipse contentus erat, lautitiarum & cupediarum inidoneus estimator. Ad convivium quoq, lautissime instructa sæpe comparere ^{Conc. 176} noluit, non præ monachali vel superbia, vel nimia sanctimoniã, sed saltem, quia illa lautius apparatus esse norat, ne hac ratione luxuriam & prodigalitatem malo exemplo approbare videretur. Quid ergo est quod Cochleus de opima cæna garrit, in qua LUTHERVM nostrũ subito extinctum esse splendide mentitur? O vere opimam cænam ultimam, pientissimis Magni huius viri colloquijs saluberrime conditam! Quam sæpe gestit animus ultimam hanc cænam quasi de longinquo aspexisse! post quã multa pulcra & præclara de Paradiso, de sanctis in cælo, de beatorum in æterna vita perfectissima notitia percepissem, in qua ille non subito concidit, sed sequentis diei hora matutina tertia demum, præcedentibus multis ardentissimis precibus, pro se suaq, Ecclesia placide obdormivit, Ecquis ergo

PARENTATIO

luxus in LUTHERI, nostri vita unquam fuit? Antichristi-
 stū vero videas Romanum, proh! quot sordidos Sardanapalos,
 quot fastuosos Heliogabalos, quot temulentos Alexandros vide-
 as! Ingredere aulam Romanam: non ibi humilem Episcopi pa-
 rochiam, sed servi servorum, hoc est, Episcopi Romani rea-
 giam aspicias: mensam accedito: non ibi paucis contenti sac-
 cerdotis olus & carnem, sed plusquam Imperatorias dapes
 Iunonijs quasi gressibus asportatas intueberis: Famulum in-
 quire, non ibi vile tenuis ministri seruitium, sed regios sa-
 tellites, ordine tanquam in acie dispositos, ad thronum pon-
 tificis lustrabere: propius accedito: vestem molli digito con-
 trectato: non ibi grossioris filii pallium, sed meram purpuram,
 meram holoberin, & Imperatorium talare, gemmis auroq;
 coruscum tanges: iam convivandi modum attendas: non
 temperantem Italum, sed plusquam centum heluones Scy-
 thas, aut, si ita vis, Germanos videre te iurabis. Quid n:
 est, quod de Paulo II. memoria prodidit Platina, quem uni-
 cum maiores suos omnes superasse scribit luxu apparatusq;
 regio: dum magnis precijs undiq; cœmentis gemmis, adaman-
 tinis, sapphiris, smaragdis, Iaspidibus, & quicquid unionum
 & gemmarum in pretio est, superbijt, cum his ornatus tan-
 quam splendidus quidam Aäron in medium prodijt, & se
 præter maiorum suorum morem diutius visendum exhibuit:
 dum varia sibi semper ciborum genera apponi voluit: & si,
 quæ expetebat, ex sententia apposita non fuerunt, exclama-
 vit; Pontifex omnium bibacissimus (ita commendat Ponti-
 ficus Idolū suum) peponum esu, cancrorum, pastillorum, pisci-
 um succidia mirificè delectans: quibus ex rebus apoplexiam
 ipsi ortam tradunt, qua è vita sublatus est: quippe qui
 duos pepones & eos prægrandes comederat eo die, quo se-
 quenti nocte mortuus est. Sic & Nicolao V. inter alia
 sus

Est: in vita
 Nicol. V.

ANNIVERSARIA.

sua scelera notiora, hac quoque macula inuritur, quod nimio bibendi studio teneretur, perquisitis undique vinorum generibus. Iulius vero II. egregius Sodomita miris modis delabatur in cibo porcellis & pavonibus, unde quoque porcus ille postmodum podagra laborare cepit. Nolo plura notare luxuriosissimorum Pontificum exempla, quae in omnibus quoque monasterijs vilissimis magno numero succurrunt, ubi miselli Monachi humiles sine despectu, pauperes sine defectu, se suosque ventres inedia, si dijs placet, ita macerant, ut praepingui, & obeso abdomine soli iam vix incedere possint. Ut de reliquo plane regio in vestitu, alijsque rebus fastu nihil dicam, cuius illustre nobis specimen exhibetur in Petro Riario Sanonense, ordinis Minorum fratre, quem Sixtus IV. Pontifex ad cardinalatum extulit, qui intra domesticos aureis vultus vestibus, neque vero lectulos aureis stragulis integere satis habuit, sed lectorum etiam ipsorum culcitrae ex sericeis & aureis pannis confecit, argenteis quoque vasis onus ventris excepit. Hec prodigiosum fastum luxumque Episcoporum Romanensium! Haecine tantopere ab Apostolo praedicata in Episcopo sobrietas? quae qualis sit, quis est, qui non etiam palpate possit?

Iam vero, quid de LUTHERI nostri libertate dicam? hac enim quoque nota verum agnoscere Episcopum Apostolus fatetur, si nimirum hospitalis sit, nec turpis lucri cupidus. Verissimum enim est illud Salustij verbum: Pecunia, imperiumque, libido, sunt quasi materies omnium malorum. Namque avaritia, fidem, probitatem, ceterasque bonas artes subvertit, proque his superbiam, crudelitatem, DEUM negligere, omnia venalia habere docuit. Ita igitur LUTHERUS noster summas sibi putabat divitias Pietatem cum avaritia. Quod si enim occasione sua ditescendi uti voluisset, DEUM immortalem! quas ille opes nullo negotio potuisset

Theat. Hist.
 storie. ex
 Bapt. Camp-
 o fulg. in
 9. & 10.
 praec.

3

1. Tim. 6. 7.



PARENTATIO

Meibef.
congr. 12.

potuisset consequi! sed sanctissimus pater ad dandum potius, quam ad capiendum promptus, etiam summorum principum dona nonnunquam modestè respuebat. Electori Ioanni nova tunica ipsum donanti respondit: plus nimio fieri: neque enim necesse esse, ut hic omnem laborum suorum ἀντιπελάγειον sortiretur, multam huius partem in alteram vitam differendam esse. Idem Illustrissimus Elector LUTHERO venam metallicam in monte niveo liberaliter offerebat, sed & hanc renuit, ne diabolo (ut dicebat) thesaurorum subterraneorum domino tentandi ansam præberet. Et quid verbis opus est? tanta LUTHERI nostri continentia ne quidem hostibus obscura fuit, unde, cum aliquando quidam illorum in medium consuleret, LUTHERI in papatum vehementiam auro domandam esse; respondit alter: nihil profici; Germanam bestiam aurum argentumque nullius pili facere. Liberalitatem vero eius semper omnes pleno ore prædicarunt: qui multos claustris suis profugos monachos vestit, etiam cum rei familiaris suæ detrimento, qui & advenas quosque ipsum subinde convenientes humaniter excepit, & liberaliter tractavit. Tantam profecto hospitalitatem & liberalitatem in Pontifices Romanos cadere tantum abest, ut potius vultures & harpyiæ habeantur, in aliena etiam bona furaciter involantes. Hinc ob rem olim Abbas quidam interroganti; Papa cuius sit partis, facetè respondit; participij partis, quia partem capiat de clero, partem de Laicis, cum totius orbis significatione doloris, sine modis & temporibus: indomitam aurifamem Romana curia notans, quam omnia secula misere deplorarunt, juxta iustissimam querelam Marcellij Patavini, quod Pontifices Romani sibi congregent omnes mundi thesauros, suaque Simonia omnia regna provinciasque

Vide Oppos.
gravam
restit. Conc.
Trid. part.
2. 6. 7.

ANNIVERSARIA

etias q̄, spoliens. Idemq̄, Græca illa Ecclesia agnovit, qui Ioan² Part. 2. def. ni XXIII. petenti, ut ea se summum Ecclesie caput agnosceret, festivo laconismo respondit: Potentiam tuam summam erga tuos subditos firmiter credimus: superbiam tuam summam tolerare non possumus: avaritiam satiare non valemus: Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum. Et quorsum plura? Taxa concellaria Apostolica satis aperte loquitur, quanta pecunie vis plane immensa patrimonium Petri cotidie adaugeat, ut jam ille Pontifex privatis in bonis ultra ducentas auri tonnas reliquerit: iste ex solis annatis ex Gallia, annuo vectigali centum & viginti milia aureorum collegerit: alij in eadem provincia ex gratijs expectativis & nonnullis alijs quotannis vicies quinquies centena milia aureorū corraserint. Vsq̄, adeo Harpyia jam nō amplius incolunt insulas, ut Poëta olim existimarunt, sed insulis migrarunt in curiam Romanam, biq̄, domicilium suum constituerunt, ut quondam Alphonsus Arragonum Rex sapientissimus dicere solebat. Sunt verò & liberales Pontifices Romani, scilicet in sua scorta & cyrados, quibus fermè omnia Ecclesie bona largiter communicant, ut ita nothorum atq̄, familiarium suorum, quos consanguineos appellant, ingluviem atq̄, avaritiam expleant; quod imprimis in Ioanne XVI cum stomacho notarunt Platina & Stella. Sed & hospitales sunt, nimirum aliquot Iudeorum Synagoga, quin & meretricum ultra quadraginta quinq̄, milia reperiuntur Romæ advenæ & peregrinæ, egregij scilicet hospites, tali lenone digni, qua de re ita Baptista Matuanus:

Sanctus ager scurris, venerabilis ara cinædis

Seruit, honorandæ diyum Ganymedibus ædes.

L. 3. de temp. suor. ea. anno

istas

PARENTATIO

Istas bestias, ista inutilia terra pondera optime ferre potest Pontificius alastor: qui vero Christi nomen vera fide profitentur, à Papâ pro hæreticis habentur, proscribuntur, in exilium aguntur, carceribus mancipantur, compedi- bus adstringuntur, triremibus, aquis, laqueo, securi, igne ple- ãtuntur, Hæc est illa egregia hospitalitas, hæc Pontificijs gnathonibus tantopere prædicata Liberalitas Cæcæpiscopi Ro- mani: adeoq; tota eiusdem temperantia summa spurcitie, luxu, avaritiaq; constans omnino intolerabili.

Mar. 16.

Nunc ad alterâ veri Episcopi virtutē cardinalē juxta men- tem Apostoli transimus, quam Prudentiã appellare licet. Quo quidem in genere primo loco sese offert singularis docendi dōvæ p̄is, qua Episcopum ornatum esse vult D. Paulus. Atq; hanc ob causam Christus quoq; discipulos suos ablegavit, ut sint Evangelistæ, hoc est, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ. Prudentis enim est Pastoris, non modo non de- glubere oves, sed & easdem pascere: Ita & prudentis est Episcopi, non saltem sceleratis moribus & exemplo malo gre- gem non corrumpere: Sed & eundem ad amœna verbi di- vini pascua & ad fontes Israël, salutari doctrina deduce- re. Hoc vero in officij genere LUTHERVS noster adeo excelluit, ut reliquos omnes sui ordinis longo post se inter- vallo relinqueret, & hic unus Doctorum omnium palmam facile præriperet. Testantur id eius scripta tam didacti- ca quam polemica, tanta & sapientia & eloquentia, ut verè omnis Theologica scientia præclarus thesaurus dici & esse possint. Publicè vero pro hominum fidem, quot aureas conciones habuit Episcopus & Evangelista ille præstantissi- mus! utinam vel ipsi tandem parietes loquantur, vel sug- gestus

ANNIVERSARIA.

gestus ipse gemitu saltem contestari posset: profecto miram
 audiretis in extollendis pro merito suo LUTHERI nostri
 concionibus conformitatem. Neque vero deses hoc in opere
 Episcopi præcipuo repertus fuit; sed sæpe uno die Domini-
 co quater concionem habuit, una septimana quater publice le-
 git, bis publice peroravit. Nolo ista pluribus persequi: nota
 enim sunt, & adversarijs quoque extra controversiam posita:
 quasi quis impudenti ore negare ausit, vel ipsi tandem lapi-
 des, parietes, suggestus, hæc ipsa tandem cathedra clamabit.
 Iam vero quam egregij doctores sunt Episcopi Romani!
 nempe ordinare, confirmare, dedicare, consecrare, sacrificare,
 re, excommunicare, hæc sunt munera Pontificalis, prædicatio-
 nis Evangelij altum est silentium: tandem quasi re bene ge-
 stâ, Missa celebratur, à summo isto præfule, hoc est, horren-
 da Idololatria nomen Iehovæ prophanatur. Constat enim Car-
 dinales eligere sæpissime prorsus illiteratum Papam, ut ait Io-
 annes de Selua Parisiensis, qui tamen propter defectum scien-
 tiæ nequaquam illis repellendus videatur, juxta illud Baldi
 dictorium; *Papæ sunt doctores utriusque, civilis & Ca-*
nonici juris, auctoritate quidem, sed non scientia. Quod
 si maximè harum rerum sunt peritissimi; de Evangelio
 tamen Christi, ubi verorum Episcoporum Rhodus est, mi-
 nus sciunt sexagenarij isti seneciones, quàm vera Eccle-
 sia pueri septennes. Vetustissima hæc est bonorum o-
 mnium querela, & ante annos plusquam ducentos quin-
 quaginta repetita. Ita enim admirari & stupere
 meritò omnes scribit Marsilius Patavinus, divinarum
 scripturarum ignaros juniores, morum convenienti gra-
 vitate carentes, ad maiores Ecclesie thronos esse præfectos,

In tract. de
 benef. part.
 3. quest. 50
 m. 5.

D

repul-

PARENTATIO

Part. 2. def. repulsis aut neglectis scriptura sana doctoribus, viris hone
 pac. cap. 24 state probatis. Hoc est quod de Calixto III. decrepito fili
 cernio referunt eius vita scriptores, fuisse eum quidem juris
 Pontificij scientissimum, sed Evangelij Filij DEI plane ig
 Bal. in vi- gnarum. Hoc est, quod de eodem refertur, ut Christi
 14 Cal. iii.

vices in his terris reipsa expleret, emisisse cum in diversas
 terras insignes hypocritas, & luxuriosissimos nebulones,
 Ioannem Capistranum & Robertum de Licio ad predican
 dum, quidnam? num Evangelium Christi? minime, sed
 obedientiam Romanam; sana de Christi doctrina, de eius
 merito & reconciliatione nihil ipsis in mentem venire po
 terat. At vero publice doceant sanctissimi illi semidei, &

Seß. 3. cap. 2
 anno 46.
 Jun. 17.

humanam sortem jam (si dijs placet) egressi? quinimo &
 minoribus Episcopis & Ecclesia proceribus concessit Tri
 dentina Synodus vicarios, qui, si illi legitimo (ut aiunt)
 impedimento detineantur, huiusmodi predicationis officii
 um salubriter exequantur. At non ita Paulus; qui

proximam maximeq; splendidam Episcopi functionem esse
 dicit, docere, hortari, consolari, monere, vel redargue
 re. Et notatu digna est illa Gregorij vox: sacerdos

pistol. 24.

moritur, si de eo sonitus non auditur, qui iram contra se oc
 culti iudicis exigit, si sine sonitu predicationis inces
 dit. Videant ergo præsules Romani, quomodo illi non

pastores, sed Rectores & Monarchæ Ecclesiarum, Episco
 pi titulum tueri, & iusti Iudicis iram diu concitatam evi
 tere velint.

DE vigilantia, quam alteram Episcopalis Prudentiæ
 partem ex mente Paulina esse dixi, paucis jam quoq; agam.
 Ea, quanta fuerit in LUTHERO nostro, testis est VVite
 berga nostra, testis ardentissima ipsius lacryma, pro hac sua
 Eccle.

ANNIVERSARIA

Ecclesia cum multis suspirijs crebro profusa, & credo vivunt etiam nū, qui fidelitatis & vigiliarū suarū testes esse poterunt. Quod si non aliud suppeteret exemplum, qua fide, quo animo erga populum, hunc divinitus sibi commissum adfectus fuerit, profectō sufficeret unicum illud tempus, quo ex furore Papæ Romani autoritate Imperatoris proscripius, jussu & consilio pientissimi Electoris Friderici in Patmo suo versabatur, ubi non destitit scribendo suum facere officium, & calamo hostes Ecclesiæ abigere, dum verbis non licebat: Solam vero VVitebergam semper in oculis, in animo habebat, cuius nunquam oblivisci poterat, sed & dum cœnaret aliquando, cogitabundus erupit: O si VVitebergæ essem! & tandem, post aliquot menses, cum interim turba Carolostadiana Ecclesiam VVitebergensem graviter commovissent, & jam è cardinibus suis ferme evertissent, LUTHERVS manifestè protestatus, sibi nihil adaque carum esse, quam populi sui salutem, quem sibi DEVS peculiariter concrediderit, etiam contra principis sui voluntatem VVitebergam redit, & inquietam tempestatem suâ præsentia, veluti sereno solis iubare soluit & dispefcuit. Quam ardentem vero fuerit domi suæ preces, protestantibus in comitijs Augustanis, religionis negotium tractantibus, testes sunt eius familiares & domestici, quin imo unius LUTHERI gemitu & lacrymis plus accrevisse Ecclesiam Christi, quam multis aliorum sudoribus & sanguine, res tandem ipsa comprobavit. Detur mihi è tot centenis Romanorum Pontificum unicus, qui tantâ curâ, fide, & labore, sedem suam stabilire, suumq; Antichristianum gregem protegere studuerit. Iætitant quidem omnes vigilias suas, pro defendenda Petri sede, in omnibus etiam bullis & scriptis publicis Papisticis singularis ea Papæ fides splendido

Math concq

Steid. l. 3.



PARENTATIO

Splendido proæmio prædicatur; Sed si mentem introspicias, quid aliud, quam gloriam propriam, splendorem mundanum, & nominis sui immortalitatem querunt? Certè vel ipsa oecumenica concilia quoties jactitant propter religionis Christianæ integritatem instaurandam indici? Sed, si, quid in recessu sit, videas, non nisi pro conculcanda religionis veritate, opprimendisq; verbi divini ministris, ut et pro stabilienda tyrannide, & dominatu Pontificio instituta esse, cognosces. Hoc luculenter testatur edictum Pauli III. Conciliabuli Tridentini auctoris, qui Marcello Cervino Cardinali præcipue mandavit, ne quid pateretur in concilio dici, quod aliquo modo contra Romanæ sedis maiestatem tenderet, verum exturbaret potius omnes eos, qui aliquid huiusmodi conarentur. Quis ergo somniaret, Paulo III. in mentem venisse veritatis inquisitionem, cum potius hoc ipso concilio ansam & occasionem extirpandi seminis Lutherani anxie quæsierit? Ita olim fuit, & durabit, dum sedes Pontificia infracta manserit. Impossibile enim est, tyrannos & hostes Ecclesiæ, eidem diligentè studio invigilare posse.

Ultima Prudentiæ Episcopalis pars est, disciplina domestica, quam tam necessario in Episcopo requirit Apostolus, ut inde arguere non dubitet, quod, quicumq; propriæ domui non bene præsit, is multo minus magnam DEI domum recte gubernare possit. Quemadmodum enim Gorgias Leontius, cum in Olympijs de communi Græcorum concordia insigniter peroraret, à Melanthio ludibrio habitus est, quod de totius Græciæ concordia agitaret, qui se uxorem & ancillam concordem habere nesciret, quæ ab Zelotypiam irata quotidie divortium peteret: ita ridiculus est, ut levissimè

Bal. in vita
Marc. 11. 1. 7.

Plutarcho
quest. con-
viii. cap. 45

ANNIVERSARIA.

dicam, qui ad Christianam Rempub. gubernandam accedit, atq; interim domesticum imperium fractum & imminutum, vel plane nullum sibi esse non ignorat, sicut vicissim adfirmante Aristotele ἀνευ οἰκονομίας οὐδ' ἀνευ πολιτείας negotia propria nemo facile administrabit. Quapropter 6. Ethic. 8.
 LUTHERI nostri ades ingredientem tantam ubiq; harmoniam intuebimur, ut vivum benè administratæ familiæ exemplum nos videre juremus. Occurret nobis prudentissimus Paterfamilias, moderato imperio omnia regens: occurret provida & sapiens Abigail, marito veluti à latere consilio auxiliog; proxima, occurrent obsequentissimi liberi servi quoq; famulæq; ad nutum imperiumq; parentis aut heri prompti ac parati. Quæ omnia, si coloribus suis exprimere velle, pulcerrimus hic aperiretur mihi campus plurimarum virtutum in omni vita multum profutararum. Specimen non vulgare reliquit sanctissimus ille vir suæ benè administratæ familiæ concionibus suis domesticis, quibus reliquo cœtui splendidissimo pietatis exemplo facem præluxit, atq; sic privata quasi Synodo ad publicos Ecclesiæ congressus omnibus veræ pietatis officijs diligenter preparavit. Ast quid horum in præfule Romano? Totum me obmutescere hic oportet: ita plane nihil video, quod ille cum hac veri Episcopi nota commune habeat. Vbi enim impius legitimi conjugij contentus animos; spuriorum & nepotum Pontificiorum examina domos semel occuparunt, ecqua ibi reperiatur disciplinæ domesticæ umbra? Scurrarum atq; Cynadorum, Sannionum & Thrasonum plus satis ibi reperias, qui nec lege, nec vi, nec ullo moderamine, sed sola voluntatis suæ cupidine regi volunt, & reguntur. Et quid ista bestia Romana suis benè præsit, vel quos habet

PARENTATIO

notos, recte educaret, quæ & filios in parentes, hos vicissim
Bel. in vita in illos irritat, ut de Paschali II. memoria proditum legi-
pasch. 110 mus, qui ad arma concitavit Henricum V. contra Parentem
 Henricum IV. quem jam ante ista furia fulmine suo in concilio Romano ferierat, quo jussu & auctoritate tanti scilicet Episcopi, filius patrem, nullâ omnino iniuria lacesitus armis petiit, obsidione premit, proditione circumventum capit, imperio sfoliat, & miserè captum tristi mortis supplicio affici patitur. O vos Nerones & Caligula, quem vestræ tyrannidis hæredem tam egregium reliquistis, Pontificem Romanum, qui in patris viscera filij gladium stringi precipit! Et hic summus sit Episcopus? Intelligitis opinor Auditores, quid distent æra lupinis, & quanto post se intervallo relinquat Pontificem Abbadonem in Episcopi munere LUTHERVS noster. Date mihi quæso adhuc aliquid horulæ, ut ea, quæ restant, breviter persequar.

Restat vero tertia Episcopi virtus præcipua, quam cum Paulo Modestiam indigitare lubet. Vbi primum occurrit Legitima vocatio, ne quis proprio ausu impudenter sese ministerio Ecclesiastico vel insinuet vel obtrudat. Modestia enim est vocationem expectare: diligentia, vocationis partes recte expedire. Etsi enim non vocati, sed proprio instinctu ingressi, veram fidem docere possunt, quamvis non insigni aliquo cum fructu, uti Paulus de quibusdam, saltem propter invidiam & contentionem Christum prædicantibus loquitur: tamen verum Episcopum individuo gressu comitatur legitima vocatio. De LUTHERI vero nostri vocatione cogitanti mihi venit in mentem impudentissimum Pontificiorum signentum.

Philip. 1.
 vers. 15.

Affert post
 ubi 56.

ANNIVERSARIA.

tum, qui aliam esse non posse vocationem eius fingunt, quam
 extraordinariam. Verissimum enim est, quod LUTHERUS
 noster inquit: neminem, prater Apostolos hodie extra
 ordinem vocari. Iam vero ipsemet fatetur, ex Patmo suo ad Tomo 9^o
 Electorem scribens, se à Repub. VVitebergensi legitime voca- vuite. f. 104^o
 tum esse, multis precibus & gemitibus: Sicut id ipsum lucu-
 lenter iisdem ferme verbis testatur in scripto suo ad Canonis-
 cos. Similiter ad insignia Doctorea solemnè protestatione se,
 se refert, eaq; se pluris estimare, quam totius mundi thesau-
 ros, fatetur, siquidem hac ipsa ratione publicè vocatus sit ad
 pure docendum Evangelium CHRISTI, & expurgandas sor-
 des hæreticorum. Ita igitur LUTHERUS noster, quatenus
 publice in templo docuit, vocationem suam à Repub. VViteber-
 gensi habuit; quatenus in schola sacras literas professus est, ab Mathes.
conc. 1. p. 54
 Illustrissimo Electore, auctoritate & privilegio Maximilia-
 ni Imperatoris, & Papæ Romani, sumtibus Electoris Saxonie
 FRIDERICI per Staupitzium ad hoc munus legitime vocatus Pist. præf.
anat. Luthe
p. 36^o
 est. Vocationem enim nullam aliam esse legitimam, quàm qua per
 aliorum Episcoporum ordinationem facta sit, tam est absur-
 dum, ut factu plane sit impossibile. Cum enim pastores Ec-
 clesie in lupos degenerant, sanosq; Evangelij Doctores pro-
 movere vel vocare renuunt, quidni hoc juris sit Ecclesie, tan-
 quam ipsius matris familias, eligere & vocare idoneos minis-
 tros? Quod si enim omnia sunt Ecclesie, ut Apostolus te- 1. Cor 3, 21
 statur: Quidni & hoc penes ipsam sit, idoneos eligere do-
 ctos, & ineptos repudiare? aliàs mater subiecta esset fi-
 lijs, domina servis, quin imo lupis in ovili Domini jam horri-
 biliter grassantibus resistere non esset integrum, quod quam
 sit

PARENTATIO

Pag. 23.

Tom. 7. vult
f. 130.

sit absonum, nemo tam bardus est, qui non intelligat. Sed quid ad ista Pistorius? Scilicet, nequidem LUTHERVM ipsum de vocatione sua certum fuisse, grunnit, ut potest qui dubitarit, utrum institutum suum à DEO sit, nec ne. Gravis mehercule accusatio, & LUTHERI nostri auctoritate indignissima, & jam ante annos Septuaginta octo LUTHERO objecta. Verum B. LUTHERVS bene se sperare dicit, non quod de vocatione sua quidquam ambigeret, quam à DEO esse ita noverat, ut suos digitos: Sed ut modestiam suam opponeret temeritati Emseri, qui gloriabatur, se omnia absq; ullo nevo, aut humana labe coram DEO rectissime egisse; quam Thraconicam audaciam & Christiano homine indignam LUTHERVS non agnoscit, sed potius propter carnis infirmitatem bene sperat, quicquid propter nominis divini gloriam susceptum sit, utile & salutare futurum.

Quid ergo hic apparet, quod LUTHERI nostri legitimam vocationem in dubium vocare possit? Utinam Romanus Pontifex ve! unam saltem suam in Antichristianam istam sedem irruptionis auctoritatem proferre posset, quales vocationis suae quam plures habet LUTHERVS noster: adeo esset, cur omnes hodierni Romanae Babylonis cives triumphos agerent. Sed enim isti non dicam ut mercenarij, sed ut fures & latrones & prostibula Christiani nominis existunt. Ut enim olim Imp. Romani de excisis eversisq; à se civitatibus triumphantes, civitatum insignia vel imagines in triumphis circumferre solebant, tanquam gloriosa victoria monumenta: ita isti Episcoporum titulos & quasi imagines jactabundi proferunt tanquam

ANNIVERSARIA.

quam everſa ab ipsis Eccleſia non glorioſa inſignia, ſed luētuoſa ſpectacula. Utinam verò hodie Tertullianus reviviſcat, & peregrinum hoſpitem in Eccleſia Romana cerneret, Papam cum Cardinalium & Epiſcoporum ſuorum manipulo, non in Eccleſiarum cathedris docentem, ſed in aula Romana regio ornatu & ſplendore dominantem: hominum fidem! quibus ille verbis Eccleſiam introduceret novos illos hoſpites excipientem! nonne quibus olim Manichæis & Valentinianis intonuit? Qui eſtis? quid in meo agitis non mei? quo, Pontifex Romane, iure ſylvam meam cadis? qua licentiâ, Monache, fontes meos tranſvertis? Mea eſt poſſeſſio: Ego ſum hæres Apoſtolorum, ſicut caverunt teſtamento, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adjuraverunt, ita teneo. Et profecto rectiſſime iſthæc in Pontifices Romanos regereret: qui quamvis plenis faucibus multa clamitant de Apoſtolorum ſucceſſione: tamen quia doctrine ſucceſſionem, (qua iſtius quaſi animæ eſt) nullo modo demonſtrare poſſunt, miſere concidit ipſorum miſera ſucceſſio. Iam ſi non ordinem, ſed aliquot Pontificum perſonas intueamur, quis, quaſo, Sergium III. ad Papatum vocavit? meretrix Marozia: Quis Iohannem XI? meretrix Theodora: Quis Urbanum II? meretrix Mathilda: quis Hellebrandum illum, necromanticum & præſti-giatorem diabolicum, Gregor: VII? fraus & pecunia: quis Iohannem XXIV? ipſe ſemet ipſum: qui cum armorum quam religionis eſſet ſtudioſior, Bononia (ubi ad eligendum Pontificem convenerant) legatus eſſet, multa patribus interminatæ eſt, niſi ſibi gratum Pontificem eligerent. Iſtis poſtulantibus, quem vellet; date mihi, inquit, Petri chlamydem, (hoc eſt Epiſcopi Romani Evangelium) & ego dabo Pontifici futuro: quo accepto, ipſe pallium ſuis humeris imponens, ego ait,

De præſcrip-
heret.

Balilib. 6.
in vita Ioh
XXIV.

E

Papa

PARENTATIO

Papa sum. Quo pacto miles iste per fas & nefas semetipsum ad Episcopatum Romanum elegit, vocavit, ordinavit. Et quam putatis hodie, Auditores, legitimam esse vocationem in illegitima Romanensium Ecclesia? ubi collectis, non suffragiis, sed pecunijs fit Episcoporum electio: ubi non nisi fraus, vis, argentum, stuprum, Simonia, sunt usitatissima media, ad illum semidecorum thronum adscendendi; ubi non men habetur potius honoris, quam effectus virtutis, ut D. Gregorius loquitur.

Iam, ut ad LUTHERVM nostrum redeat oratio, singularem eius humanitatem & Mansuetudinem, si pro dignitate predicare vellem, quam sufficienter ipsum Apostolo satisfecisse videremus, qui Episcopum pacis studiosissimum, à pugnis & rixis alienum esse voluit? Huic enim nihil magis in vita exosum fuit, quam bellorum rixarumq; publicarum rumores audire: quas, si quæ forte mota fuerunt, heroico suo spiritu non raro sopiebat, gliscentes reprimebat. Arma etiam iustissima in causa sumi nunquam jubebat, melius tuisq; fore ratus, si pacis publicæ gratiâ nonnihil de jure remitteretur, quam si litibus & cæde bonæ publicæ promoverentur. Innumera alia ut taceam, certè pacificationis Norimbergensis inter protestantes & Carolum Imperatorem anno 1532. factæ, auctor non postremus fuit LUTHERVS noster, ut in primis ternæ eius literæ ad Electorem Ioan: Fridericum datæ abunde testantur. Eiusdem etiam humanitas erga quosvis nemini obscure esse potuit, qui ad id natus videbatur, ut omnia humanitatis officia tanquam in politissimo speculo in sanctissima eius vita elucescerent. Etsi vero non est de nihilo, quod asperitas illa, quæ in LUTHERI scriptis

Tom. 9.
vult. fol.
472.

scriptis nonnunquam apparet, hominum animos plurimum offendit, hostibus etiam Ecclesiae calumniandi ansam dedit non exiguam: tamen qui non praedicio corruptum habet animum, & hunc herōa orbi Christiano divinitus concessum esse novit; tantum abest, ut is vitio haec omnia LUTHERO nostro vertat, quae praestantissimi herois singularem virtutem digito demonstrant. Ut enim sit, fulminavit & intonuit LUTHERVS noster: at enim Magnatum animos nunquam fulmine suo ita tetigit, ut inde publica bellorum flamma orbem incenderet; imo multa potius AntiChristi membra magnanimo Elia spiritu exanimavit, ardentique pietatis Zelo templum Domini à fecibus purgavit: quae omnia, non minus quam tempestivam mansuetudinem, Spiritus sanctus ab Episcopo passim requirit. De his vero plura dicentem prohibet temporis angustia: & quorsum attinet, fusius ea persequi, quae vobis omnibus sunt antehac perspektissima? Quod si jam Episcopum Romanum ad hunc Apostoli canonem examinemus, hominum fidem, quam subito ex Episcopo miles, ex pastore lupus, ex vicario Christi Antichristus prodibit! sive enim publica, sive privata contemplemur, omnia Pontificiarum litium, rixarum, contentionum & bellorum plena esse constat Publica non attinet attingere: quis enim est, qui non omnia insidijs, furijs, bellis & machinationibus Antichristi Romani etiamnum effervescente videat? idque non hodie aut heri, sed à quo primum die bestia ista Romana sub vicariatus Christi titulo sacra omnia venalia habuit, Ecclesiam Christi perturbare cepit. Neque quidquam hoc loco dicam, quanto cum fervore atque studio cruenti isti Pontifices Romani regum principumque animos exasperarint, ad odia bellaque publica inflammaverint, jam filium in parentem, socerum in generum,

Esa. 58.

Iohan. 16.

Tit. 1.

PARENTATIO

rum, fratrem in fratrem armarint, & incendia illa, quae
 jam passim gliscunt in orbe Christiano, suarum virium fomento
 sustentarint & promoverint. Privata si videas, dici
 non potest, quantam cum fraude, quanta quoque aperta cum vi
 & potentia, alter alterum de Pontificali sede deturbarit,
 convicijs prosciderit, vitæ etiam & salutis imposuerit. No-
 ta sunt schismata, insidiae & proditiones inter Urbanum VI. &
 Clementem VII. duos Pontifices uno tempore electos. No-
 ta sunt excommunicationes mutuae Urbani II. & Clementis
 III. nota est crudelitas Iohannis XIV, qui non ut mansuetus
 Episcopus, sed ut crudelissimus tyrannus, Phalaride vel Ne-
 rone se vior. Rempubl. Christianam depraedatus est. Quam
 vero tristes Christianorum lanienas praedictus Urbanus
 II. excitavit, dum Christianos contra Saracenos instiga-
 vit, sub pretextu Hierosolymæ recuperandæ, quam multos eo-
 dem bello populos mutuis cadibus inter se commisit? Nor-
 mannos cum Graecis, Gallos cum Armenijs, Germanos cum
 Turcis, Saxonas cum Arabibus, Ungaros cum Hispanis,
 Italos cum Saracenis, Britannos cum Asiaticis, Occidentales
 cum Orientalibus. Et quid plura? nullus omnino est Romano-
 rum Pontificum, neque unquam erit, qui non insigni crudelitatis
 nota fuerit celebris, qui non sanguinis Christiani fuerit si-
 tientissimus. Dies me deficeret, si omnia exemplis si-
 gillatim demonstrare vellem: neque forsitan operæ precium
 facturus essem, cum veterum historijs opus non sit, ubi satis
 loquantur hodierna tempora, bellis Pontificijs & rabie plus-
 quam Saracenicæ executorum istorum Tridentini concilia-
 buli Ecclesiae jugulum petentium satis nobilitata. Inte-
 rim dum nos ista calidis suspirijs conquerimur, quare non
 eadem ex postulatione uti liceat, qua olim Leodiense collegi-
 um ty-

Aventin.
 lib. 5. annal.

ANNIVERSARIA

um tyrannicum illum latronem Paschalem II. parricidiali bello, ferro, flammisq; agrum Domini vastantem incessabat? Ita enim nos quoq; attenti hac novitate rerum, quarimus unde sit hoc novum exemplum, ut predicator pacis suo ore & alterius manu inferat bellum Ecclesiae? Contra barorum & inimicorum insultus concedunt Canones etiam clericis arma pro defensione urbis & Ecclesiae: bella vero indici Ecclesiae per auctoritatem Canonicam, nusquam scripturarum legimus. Et quae multa alia ex ista Leodiensium epistola contra hodiernam Papae tyrannidem suo ore per alterius manum Ecclesiam impugnantis rectissime proferri poterant. Cum quibus mirifice consentit Bernhardi querimonia de Romana sui seculi Ecclesia, quando inquit: Et nunc quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utiq; Christiani dicuntur. *Amici tui, o Deus, & proximi adversum te steterunt. Conjurasse videtur adversum te universitas populi Christiani à minimo usq; ad maximum: à planta pedis usq; ad verticem non est sanitas; egressa est iniquitas à senioribus iudicibus vicarijs tuis, qui videntur regere populum tuum. Heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, principatum gerere. Hac ille tum querebatur, quae jam multò rectius in rabiem hodiernae malignantium Romanensium Ecclesiae retorqueri possent. Neq; enim hac est humanitas & clemencia illa, quam ab Episcopo tanto spiritu exigit Apostolus; sed primaria potius Antichristi nota & presentissimus character. His ita demonstratis, ultimo tandem loco occurrit in veri Episcopi descriptione, Exterorum testi-*

Vide oppos
gravam.
restit. conc.
Trid. p. 2.
caus. 10.

De conu.
Pauli, ser.
1. in cant
ser. 37



PARENTATIO

monium doctrine moribusq; Episcopi tributum. Hic vero de LUTHERO nostro dicenti mihi tanta sese offert seges multorum Clarissimorum virorum huius nostri Episcopi doctrinam atq; vitam mirifice commendantium, ut si omnia accensere vellem, non tam initium quam exitus orationis meae querendus videatur. Et cum mihi coram

illis dicendum sit, qui jam ante LUTHERVM nostrum pro insigni Teutoniae Evangelista & propheta merito suo agnoscunt: possem utiq; contentus esse orthodoxorum hominum & verorum Reipub. Christianae civium testimonijs: Sed quia LUTHERI nostri virtus & integritas, quin & singularis & plusquam vulgus existimat, excellens eruditio ipsius tam clara & illustris fuit, ut & exterorum & ab Ecclesiae Christianae limitibus nonnihil seiunctorum fines attigerit: operae precium est, videre, quid & hostes LUTHERANI nominis, cogente ipsos conscientia, de LUTHERO nostro testati fuerint. Nihil vero dicam hic de certissimo illo & eventu jam satis comprobato vaticinio

In praef.
anat. Luth
pag. 2.
apol. conf.
Aug. art.
abus mut.
leid. lib. 1
Luth.
tom. 9.
vitt. fol.
860.

sanctissimi martyris Ioannis Hussi, quem tamen ipsum in omnibus ferme confessionis suae articulis suum facere nititur, & Catholice mortuum esse adfirmare non erubescit Pistorius: neq; de altero illo fratris Isenaccensis Ioan. Hiltenij diabulo, jam pridem à Papiculis repudiato. Prodeat magnus ille Leonis X, filius Erasmus Roterodamus, qui in uno folio commentariorum LUTHERI plus solidae Theologiae continetur, quam in multis prolixis scholasticorum & aliorum consimilium scriptis: qui Friderico Saxoniae duci scribens, LUTHERI libros cum applausu à viris bonis evolui dicit; sed & vitam illius à nemine reprehendi, quod absit ob omni suspici-

ANNIVERSARIA.

suspensione tum avaritia tum ambitionis. Prodeat Andreas Masivc; qui in una pagina scriptorum LUTHERI plus esse Theologia, quam in multis voluminibus patrum, adferere non dubitavit.

Prodeant deniq, illustriss. illi heredes; FRIDERICUS & IOHANNES Saxoniae duces. Prodeat & illud Anhaltinorum lumen dux inclytus GREGORIUS: prodeant Generosi illi Mansfeldensium comites, quibus cum LUTHERVS familiarissime versabatur, qui certe LUTHERI vitam & mores suo singulari favore & amore prope incredibili non obscure approbabant. Quid ergo est, quod tanto tantorum luminum splendori officiant Apostatarum tenebrae Pontificia? quid est, quod hic contradicant veritatis hostes! qui vel inviti hoc in genere veris LUTHERI nostri laudibus (quas non ipsemet sibi sine fronte sumit, sed ab alijs prater opinionem suam audire debuit) astipulare coguntur; vel mera invidia lividi, calumnia & obtrectatione sanctissima anima detrahere impudenter annituntur.

Habet vero & Pontifex Romanus exterarum nationum praecleara testimonia: Sed testimonia tyrannidis, avaritia, impietatis, sodomiae, Simoniae, omniumq, scelerum & impuritatis plane diabolicae, quibus omnibus sedes Pontificia foedissimo volutabro inquinata foetidum aula Romana oletum per totam terrarum orbem longe lateq, dispersit.

Prodeat ex Germania Ioannes VVesselus & Abbas Spanheimensis; prodeat ex Anglia Gulielmus Occam: prodeat ex Italia Franciscus Petrarcha, Mantuanus, Mirandula, Valla, Savanorola, prodeat ex Gallia Gerson, prodeat Marsilius

Patavus

Vide oppos.
grav. rest.
Trident.

concil. part.
2. cap. 1.

PARENTATIO

*Patauinus, prodeat Albertus de Rosate, prodeant innu-
 meri alij, qui superioribus seculis publice & privatim Ro-
 manum Pontificem non pastorem, sed predonem atq; lupum,
 non Episcopum, sed grassatorem & tyrannum; non docto-
 rem, sed seductorem & agyrtam; non castum sacerdo-
 tem, sed spurcissimum lenonem & sodomitam, non Petri suc-
 cessorem, non Christivarium, sed Satanae mancipium,
 sed AntiChristum illum magnum esse plenis buccis prae-
 dicabant. Quae omnia veluti unum in fasciculum jampri-
 dem collegit D. Bernhardus, quando scribit; quod ex toto
 orbe Romam confluant ambitiosi, avari, Simoniaci, sacrile-
 gi, concubinarij, incestuosi, & quaeq; istiusmodi monstra,
 ut Apostolica auctoritate vel obtineant honores, vel
 retineant. Talis est ille falso dictus Episcopus
 Romanus, ut eum non nostri homines, non huius se-
 culi doctores, sed in ipso Papae gremio, & sub medio re-
 gni Pontificij flore & vigore nati atq; educati; & ante
 annos plusquam trecentos jam defuncti, coloribus suis ad vi-
 vum depinxerunt. Quid ergo restet, Auditores, vos
 colligite: nonne vel ipsimet aulae Romanae Gnathones idolo
 suo elogia cecinere, atq; ita revera ipsis contigit, quod ait
 Basilus; contumeliam & calumniam recidere in caput ca-
 lumniatoris, dum sanctissimos LUTHERI nostri cineres
 allatrant, ipsum haereticorum coriphaum, furiosum, libidi-
 nosum, Monachum Lucianicum, scurram, nugatorem, halae-
 pantam, & Sycophantam, & nescio quid non appellare non
 verentur? Quid enim unquam libidinosius? quid
 avarius? quid impetuosius? quid rixosius? quod su-
 perbius*

Lib. 1. de
 Conf. ad
 Evgeniã.

Hom. 10.
 ad popul.

perbius monstrum vidiſtis aut legiſtis unquam, quam Pon-
 tificem Romanū, qui non modò legitima damnat matrimonia,
 ſed & infandos inceſtus & ſcortationes ſanctiori habet loco,
 quam divinitus conceſſa conjugia: Qui non modo Rem-
 pub. Chriſtianam ab hoſtibus non defendit, ſed & ipſe
 met ut lupus & Tyrannus immaniſſimus, in illam graſſa-
 tur: qui non modò humanitatis omnis, omnis modeſtie &
 manſuetudinis eſt expers, ſed & horribilium bellorum, ri-
 xarum & contentionum auctor eſt induſtrius: & hic ſit ſum-
 mus & oecumenicus Episcopus! DEUS immortalis!
 Male ſit tua Eccleſia, tuo ſacroſancto cœtui ſub hoc Nero-
 ne, ſub hoc Sardanapalo, ſub hoc Herode & Antiocho! at ò
 bene ſit tuo ter benedicto agmini, ſub manſueto illo, caſto,
 illibato, puro puto, & cordato LVTHERI moderamine! ò
 optimum hunc paſtorem! ò optatiſſimum Germaniæ Evan-
 geliſtam & Prophetam! ab redeat LVTHERI noſtri vi-
 gilantia! redeat LVTHERI noſtri magnanimitas &
 manſuetudo! redeat priſca illa Pietas, & Spiritus Prophe-
 ticus LVTHERI noſtri! Profecto neq; Pontificius il-
 le Abbadon, neq; Hispanicus iſte Cacus, neq; Turcicus Ala-
 ſtor, Reipubl. Chriſtiæ mali quippiam interminabunt.
 Sed quid? ò μὲν γὰρ οὐκ ἔστιν, οἱ δ' ὄντες ἡγοῦν. Dabit
 tamen vel tandem Iehovah Eccleſia ſua Eliſaum aliquem, qui
 ſumto Eliæ noſtri pallio, ſepem ſeſe interponat & ſtet coram
 Domino pro terrâ. Imo & jam dedit, magnos illos præ-
 ceptores noſtros, quorum precibus & ſuſpirijs, gemitu & la-
 crymis, verè LVTHERA NO Spiritu ad omnipotentem
 DEVM jam pridem ardentiffime profuſis, & peſtem, & bella

PARENTATIO

*AE. H. & nefarias illas hostium technas, veluti AEGIDE PA-
S. G. CIFICO ET LONGE DILECTISSIMIS EX-
D. R. CVB IIS ab Ecclesijs nostris propulsas & protelatas esse omnia
L. H. no sum persuasus. Quapropter bene sperare & ominari
non dubito, sacrosanctum semen Lutheranum, sub rubeo illo
IESV CHRISTI vexillo contra meretricem Babylo-
nicam & omnes inferorum portas feliciter pugnaturum, &
sub medijs hostium insultibus, immortalis Christiani
nominis cum gloria triumphaturum. Interim
furat, frendeat, fulminet bestia Romana:
beatissimam tamen LV THERI nostri
memoriam vel hodierna dies nul-
lis seculorum seculis ob-
literabit.*

D I X I.



RECTOR ACADEMIÆ

VVITEBERGENSIS LEONHARTVS

HVTTERVVS SS. THEOL. D. ET PRO-

fessor Studioſæ iuventuti S. D.




ANNVS IAM AGITVR QVIN-
quagesimus tertius, cum hoc die vi-
tam illam beatam & immortalẽ cū
hac caducã ac miserã commutavit
vir ac Theologus incomparabilis, Antichristi Ro-
mani domitor, Ecclesiæ perpurgator, Germaniæ
Doctõr, & de hoc inprimis gymnasio atq; oppido o-
ptimè ac præclarissimè mēritus MARTINVS LV-
THERVS. Cuius viri memoriã par est, nos san-
ctè ac religiosè tueri & colere in omni vitã nostrã:
Deoq; gratias maximas & perpetuas habere atque
agere, quòd interminatã motus bonitate tanto ac
tam divino beneficio affecerit nos ac patres nostros,
redaccensã lucẽ Euangelij Filij sui in hac extrema
mundi tempestate: eundemq; pari studio orare &
obsecrare, ut lucem illam clementer ac potenter por-
ro conservare, & cum omni posteritate adæquare
velit. Quamobrem rectè atq; ordine faciunt, lau-
demq; merentur ij, qui pietatis admonitu, & studi-

orum fiducia excitati, eruditis declamationibus opti-
mi illius, & sanctissimi viri manibus ac memoria
parentant. Quo de genere audiri heri non sine fru-
ctu ac iucunditate potuit egregius ex ordine nostro in-
venis quidam, qui LUTHERI vitam & precipua eius
acta versu elegiaco luculenter persecutus fuit: au-
diri etiam hodie rursus poterit, pari, vel maiori et-
iam cum opera precio vir-invenis, pietate & do-
ctrina insignis M. FRIDERICVS BALDVINVS
Dresdensis, qui & ipse oratione prosa eruditissime
conscripta commemoraturus est nonnulla de hoc i-
pso argumento, & in primis responsurus ad calu-
mnia & virulentissima mendacia atq; convicia,
quibus Antichristicola Romani LUTHERI famam
& existimationem aspergere impudenter conantur.
Quae declamatio cum à collegio nostro Theologico
approbata sit, & digna iudicata, quae ab alijs pu-
blice cognoscatur; cumq; nobis de eruditione huius
nostri M. BALDVINI liquido constet: volumus
atq; censemus, ut postea HORA I. pomeridianà in
loco consueto ad auscultationem explicationis tam
preclari argumenti, cum aliarum disciplinarum,
tum Theologiae potissimum studiosi frequenter con-
veniant P. P. die Concordiae, qui est 18. Febr.
CIC. IC. IC.

LITE-

LITERATISSIMO, INTEGERRI
MOQUE VIRO, DN: M. FRIDERICO BALDVINO,
pro Diuo LUTHERO publicè militanti
ti, amico meo amicissimo.

 Vi Te dixerunt, MARTINE LVTHERE, fuisse
Miraculum rarissimum:
Qui Te confessi postremæ ætatis Heliam,
Germaniæq; stellulam:
Vera magis nunquam illorum sunt verba profecta
Ab ore, quidquid dixerint.
Scilicet hæc tua laus perpes, tua fama, decusq;
Mansurum in omne seculum.
Vicisti LVTHERE, tuum celebrato triumphum,
In sede felicissima:
Vicisti, verè vicisti, firma columna
Factus Iehovæ in ædibus.
PISTOR, an id renuis? mutesce, es fulmine tactus,
Mendacule ô vanissime:
Vnius nostri FRIDERICI penna disertâ
Feliciter te perdidit.
I nunc, Iatratus cumulato, ferosq; bœatus,
Nil proficis, nil efficis.
Militat in cœlis, cum CHRISTO transigit ævum
DIVUS LVTHERVS, VIR DEI.
Vive Propheta DEI, divine Propheta LVTHERE.
Salve, valeq; perpetim.

*Matthias Hœc Viennensis
nobilis Austriacus.*

VIR O INGENIOSO ET PRÆSTANTI
DN M. FRIDERICO BALDVINO DRESDENSI,
Pœtæ laurea dignissimo, Domino
suo amico.



*V*llius Arpinum cælo intulit ore di-
serto,
Baldvinus Dresdam picta sub astra
levat.

*Arpinum meruit Ciceronis nomine nomen:
Baldvini nomen nomine Dresda gerit.
Canius evexit Gades: Baldvinus honorem
Exauget patria plenus honore sua.
Corduba Luceano geminis Senecisq; triumphat:
Baldvino exsultat Misnica Dresda suo.
Et merito. Orator, Sophus, atq; Pœta venustus
Baldvinus gignit numina, homo genitus.
O si vidisses illum, LVTHERE, loquentem
In cathedrâ, de TE nil nisi vera, tuâ!
Vivat Baldvinus, vivat Baldvinus! Et idem
Verba magis solvat, verba ligetq; magis.*

Fecit VViteb. Matthæus Zuberus
Pœta Coronatus.

Dum



Vm declamasti numeris, Baldvine,
solutis

Legibus orator, stringo poëta pedes.
Hoc oratorum decus est, sermone pedestri
Verba poëtarium volvere posse modo.

*Wolfgangus Ulbeccius
Fr. P. L. Convictori suo f.*

QVÆDAM ERRATA

πυροθετῶν

In præfat- dist- antepenult. pro quæ lege quem. B. v. 16. l.
quotannis. B. 3. b. v. 14. tolle ? . B. 5. v. 14. l. fornicatio-
nem. ib. v. 20. l. spurcissimorum. C. 4. v. 7. l. cancellaria.
Si qua sunt reliqua, præsertim in interpunctionibus; can-
didus lector facile emendabit.



179. 5307 AA

Incipit oratio...
Hoc orationum...
Nihil potest...

Stollberger...
P. P. I. Compositum...

OVADAM ERRATA

In...
quod...
in...
et...


m.c.



X 205 M77







95. (28)

V
g
5309

Parentatio Anniuersaria

PRO
D. MARTINO LV.
THERO P. M.

QVA OSTENDITVR
BEATISSIM. ILLVM PA-
trem Verum fuisse Episcopum & Evan-
gelistam Germaniæ : vice versâ Ponti-
ficem Romanum ne quidem hilum
Episcopalis officij, aut nominis
revera sustinere posse : ex 1.
Timoth. 3. cap.

*Contra calumnias & mendacia Romanen-
sium alastorum*

HABITA PVBLICE IN SOLE-
mni confessu Generos. Dn. Baronum, Reveren-
dorum & Excellentissimorum patrum Acade-
micorum, & honorificâ Nobilissimorum & le-
tissimorum commilitum frequentiâ, in
Academia VVitebergensi

a. d. 18. Feb. qui Concordiæ inscribitur,
Anni 1599.

à
M. FRIDERICO BALDV-
ino Dresdensi.